

imperitiis agricolationis hominibus, et non nisi a gnaris sequestribus administrentur, paucissimi pessumibunt. Remotis autem omnino universis illis incommodis quaestus multiplici modo juvabitur.

Ac si verum est, quod nemo facile dubitat, in eorum numero hominum, qui, quam ut libere quaestum exercere possint, nimium arctis finibus coërceantur, non multos inveniri, qui, quae tractent, eorum rationem sibi sua sponte reddant, quaestusque scientiam comparare studeant; ut, si major rusticis libertas concessa fuerit, liberius agriculturae studia persequantur, et, quod nunc pauci faciunt, multum cum quaestu jungant, ejus scientiam, certo futurum esse mihi videtur. Ipsa vero agriculturae doctrina magis consummabitur latiusque propagabitur, si quaestus rectius liberiusque exerceri coeptus fuerit. Neque etiam tirones, mutata rerum conditione, periculum subituri, ne ab imperitis a recta via toties seducantur, sed multiplicem recte pleneque addiscendae artis occasionem habituri videntur.

Praeterea multa sunt, quae ad emendandam perficiendamque agriculturam adhiberi possint, praesidia, eaque duplicis maxime generis.

Alterius enim illa sunt, quae doctrinae idoneam occasionem praebent. Scholae enim oeconomicae paucae nunc et in ditiorum modo usum insitutae plures et in pauperiorum quoque commodum aperiendae sunt. Atque academica institutione plane non dubito, quin, si ad quaestum ejus scientiam necessario requiri neque ullo modo contemnendos doctos agricolas esse intellectum fuerit, plures sint usuri. Quod ut efficiatur, omnes omnino, qui ad tale munus publicum admitti velint, praeterquam quod, se academicorum doctorum scholis interfuisse, testimoniis allatis probent, examinandi sunt ex mea sententia, ut, qui plura didicerint, et, quam ceteri, reipublicae magis profuturi videantur, intelligatur. Denique si plures, quam quot nunc sunt, agricolarum societates conderentur, quorumque inventa utiliter et a paucis instituta essent, in notitiam omnium facilius venire et ad agricolationis artem citius excolendam conferre possent.